

ignoramus. Neque enim regionum illarum descriptores littoris id mandarunt. Ab eisdem Herculis columnis ad occasum exiens, si per Africa occidua littora iter torseris, Oceanum invenies quorundam sententia, affluxum eadem altitudine usque ad caput Viride habere quanta est in littore Lusitano. Sed Lusitanus quidam sine nomine Nauta (Pilotum vocant), qui ut videtur satis accurate, iter suum ad insulam usque S. Thomæ descripsit, narrat, a freto Herculeo, secus Africæ oram, usque ad Cancri tropicum, fere insensibile esse maris incrementum. A quo Tropico usque ad Nigiris, aut Se negæ fluvii ostia, quæ ultra caput Viride II gradibus circa æquinoctialem sunt, Oceani incrementa sentiri. In ostiis vero fluvii, maiora esse. Nam et in se recurrit fluvius, et affluxus similis est Lusitano. Aloisius vero Cademustus refert, ad eiusdem fluminis oram, fluxum vehementissimum esse ita, ut quatuor horis subeat, octonis vero refluat. Ad insulam vero S. Thoma inquit ille, non maiorem quam Venetiis esse, pedibus nimirum quatuor minorem. Aliis navigationum relationibus constat tota Australi Guineæ et Africæ ora, Oceani incrementa esse parva. Incapitæ Bonæ Spei qualia sint, compertam non habemus. Petrus Martinez Sacerdos Iesuita, in syrtibus quæ in medio pelago, inter fere Madagascar, et Cafrieriæ continentem sunt, vocanturque Bassi del Iudeo, ubi ipse naufragium est passus narrat, affluxum, usque ad hominis umbilicum esse. In continente vero e regione posito, altiorem homine non esse. Ubi ait, dum affluxu accedit mare; inter saxa rumpi, dum vero recedit non rumpi. Ex Lusitanorum relationibus, scimus, hic usque ad fretum sinus Arabici, esse fluxum, et refluxum, sed qua altitudine nescimus. Neque enim, id perscripserunt. In faucibus vero eius sinus, maior est quam toto eo mari reliquo, sed quantum utrobique attollatur, Io. Barros, qui diligentissime illud mare videri volunt descripsisse, nullam eius rei mentionem fecit. Sicuti apud neminem legimus quantum in Arabiæ littoribus ad meridiem versis crescat. In sinu vero Persico, Nicolaus Comes Venetus, ait non esse maiorem quam Venetiis. Sed in Indico mari circa Calecutium, iam talis est, qualis in Lusitania. Circa Cambaiam vero tantus, ut dum refluit, 12 et 15 miliaria fundum maris denudet. Ad Taprobanem tam altus est, quam altus circa Britanniam. Eadem altitudine, et in sinu maximo Bengalico, et circa Malacam, est, et per Sinarum littora usque ad Giaponas. Hæc sunt, quæ de affluxu, et refluxu in orbe vetere, tum intra, tum extra in Oceano, nobis in notitiam venerunt, quantacumque ea potuimus diligentia vestigare. Quæ tam varia sunt, ut non sine magna possint legi admiratione.

In orbe vero novo, varietas est non minor. Eam a locis Artico polo subiectis initio sumpto percenseamus. Supra Groenlandiam, Normoriam, Biarmiamque, ubi polus non amplius, quam 10 gradibus elevatur, ut in Mercatoris, et Posteli Geographicis tabulis est videre, nova quædam terra, ab Anglis anno 1550 est inventa, quam incolæ Suetam Zemgliam, hoc est sanctam terram nominant, in tres insulas, et unam Chersonensam, quasi circulo dispersita. In quarum prima ad orientem est mons nomine Stolpus, mundanorum, uti tradunt, montium altissimus, ideoque ab indigenis mundi columna appellatus. Insulæ hæc tres, et chersonesus, ab octuagesimo latitudinis gradu usque ad 87 versus polum protenduntur, et quatuor maximis vel fretis, vel Euripis, vel maris fluminibus separantur, qui in perpetuo sunt, sex horarum fluxu, et refluxu. Quod vero latitudinis reliquis tribus, usque 90 gradibus continetur, mare occupat veluti circuli quædam area, et quasi est Euriporum quoddam receptaculum. In cuius centro, montem est aiunt altissimum rotundum, et quasi in pyramidem conformatum, ad perpendicularum suppositum, totumque e magnete constantem. Circa quem tota ea maris circulari area gurgitem esse dicunt incredibilem, qui per Euripos, influentes aquas totas ab sorbeat atque in gurgiter, et post horas sex regurgitet atque evomat, et per eosdem impetu rapidissimo reddat. Quorum unus in fretum Avianicum qui Asiam a novo orbe disternat recta fere usque ad Giaponas quam freto Herculeo videntur esse antipodes, effluat. Alter ad meridiem nostrum versus Groenlandiæ summum caput ferit, ubi oppidum est S. Tho. et inter Islandiam, et Norvaica littora at Farem, ad Helandiam, et Orcadas recta fluxu suo tendit, et Scotiam, et Angliam totam mediam intercipit. Atque efficit, ut bifariam fluxus hic